Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

scriptura dicit sex diebus continuis collectum est septima
autem die quae est sabbati cessatum est. sine dubio initium
eius a die prima quae est dies dominica fuit; quod
si ex diuinis scripturis hoc constat quod in die dominica
dominus pluit manna et in sabbato non pluit, intellegant
iudaei iam tum praelata esse dominicam nostram iu
daico sabbato. iam tunc indicatum quod in sabbato
ipsorum gratia dei ad eos de caelo hd nullis uenerit;
dicit enim alibi propheta; diebus multis sedebunt filii
israhel sine rege sine principe sine propheta sine hos
tia sine sacrificio sine sacerdote.; In nostra autem
dominica die semper dominus pluit manna de caelo. sed et
hodie ego dico quia pluit dominus manna de caelo.
Caelestia namque sunt eloquia ista quae nobis lecta
sunt et a deo discenderunt uerba quae nobis recitata sunt.
Et ideo nos qui tale manna suscepimus semper manna
nobis datur de caelo; Illi infelices dolent et suspirant
et se miseros dicunt, quia manna sicut acceperunt
patres ipsorum ipsi non merentur accipere. Illi
numquam manna manducant; Non enim possunt illud
manducare quod est minutum sicut semen coriandri
et candidum sicut pruina;. Nihil enim in uerbo
dei minutum nihil subtile. nihil sentiunt spiritale.
sed totum pingue totum crassum. Incrassatum est

hd nulla descenderet panis caelestis qui est sermo dei ad eos